

Brixnum 4. 2. 6. 4

JOH. ULRICI CRAMERI, 6
J. U. ET PHIL. D. AC IN ACADEMIA MARBURGENSI
PROF. JURIS EXTRAORDINARI^I, 1732, 2.

PROGRAMMA
PARTES ÆQUALES
IN LUCRO ET DAMNO
SOCIORUM SPECTANDAS,
EXPLICANS.

ET
REGULAM SOCIETATIS
ARITHMETICORUM

INDE DEMONSTRANS,

QUO
LECTIONES PRIVATAS

IN
INSTITUTIONES
INTIMAT.



MARBURGI CATTORUM,
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPogr.
MDCCXXXII.

JOH. JURICI GRAMMARI
I U II THE D. V. IN ACADEMIA MARBURGENSI
PROFESSORIS EXTRAORDINARII

PROGRAMA
PARTES EQUALIES
INTEGRATIONES
SOCIORUM SPECIANDAS
EXERCITIUS
ET
REGULAM SOCIEATATIS
ARITHMETICORUM
MDXIIII MDCXVII
LXXXII
INSTITUTIONES
INITIATI

MBURGENSIS
T. ET. L. HIRSCHF. CASIMIRI M. HILLERI. ACAD. T. T. T. T.
MDCCXXII



Tsi Imperator voluerit, ut Institutiones
sint prima legitimæ scientia Elementa
(a), utque inde tyrones prima legum
cunabula appetant (b); non tamen
omnia quæ in iisdem traduntur adeo
plana & perspicua deprehenduntur, ut
indubia sint interpretationis, quin po-
tius hinc inde occurrunt adeo dubia &
obscura, ut in eorum sensu definiendo convenire nequeant
Juris interpretes. Et quamvis infinitus propemodum sit eo-
rum numerus, qui in Institutiones commentati sunt; non-
dum tamen decila sunt, quæ dubiis involuta fuerant, nec dis-
sensus in interpretando hactenus terminatus. Exempli loco
nunc producere libet, quæ in contractu societatis de æquali-
bus partibus & in lucro & in damno spectandis si nihil de iis-
dem convenerit, præcipit Imperator (c). Alii enim verba
ejusdem ita interpretantur, ut nulla prorsus habita collato-
rum ratione, lucri & damni æquales partes accipiant singuli so-
ci: alii vero eam esse legislatori mentem contendunt, quod
lucrum & damnum distribui jubeat in ratione collatorum,
partes nempe lucri & damni inter socios ex æquo dividi, si in

A 2 *socie-*

(a) §. 4. proem. Inst. (b) §. 3. l. c. (c) §. 1. J. de Societate.

societatem æquales partes contulerint. Prior sententia verbis Imperatoris, posterior vero rationi magis convenire videtur. Illam inter alias CONNANUS (d) & TULDENUS (e); hanc vero VULTEIUS (f) & Per-Illustr. Dn. SAMUEL de COCCEIUS (g) defendant. Recentius ea de re agitata quoque est controversia inter JCTos Celeberrimos HUBERUM atque THOMASIUM, quorum ille partes arithmeticæ hic vero geometrice æquales intelligi affimat (h). Notandum scilicet est, JCTos cum fuerint Mathematicum imperiti, ea quæ æqualia sunt arithmeticæ æqualia appellare, quæ vero proportionalia sunt, geometricæ æqualia vocare. Ego in arguento, quod sine principiis Mathematicorum penitus intelligi nequit, terminis quoque ipsorum utar, atque adeo quæ ab ipsis arithmeticæ æqualia dicuntur æqualia simpliciter appellabo, quæ vero geometricæ æqualia inconvenienter admodum appellant, proportionalia nuncupabo. Neque enim existimandum est, aliam esse in numeris, qui Arithmeticæ objectum sunt, aliam vero in lineis & figuris, de quibus Geometra agit, æqualitatem: notandumque est æqualitatem geometricam quam communisuntur, hoc est proportionem, æque in numeris ac in lineis & figuris spectari. Notionem æqualitatis Mathematicus a Philosopho mutuatur, ut ideo EUCLIDES Elementa Mathefeos traditurus eam non explicit sed supponat, & Cel. WOLFIUS in Philosophia prima (i) eandem evolvat. Mathematici vero in universum omnes de æqualitate ex Philosophia prima petita principia ab Euclide inter Mathefeos axiomata relata ad numeros & lineas atque figuras promiscue applicent: veluti cum eidem tertio æqualia inter se æqualia prædicantur (k). Sed missis iis, quæ ad

(d) l. 7. comm. c. 19. n. 5. (e) ad Inst. Tit. de Societ. n. 5. (f) in Comment. ad Inst. d. t. p. m. 533. n. 14. (g) in Jur. Controv. l. XVII. T. II. Qu. VII. (h) conf. Huberi Prael. ad Inst. Tit. de Societ. § 3. p. m. 358, seqq. (i) § 349. Ontol. Lat. (k) Ax. I. Elem. I.

ad id faciunt, ut bene & convenienter loquamur, ad ea accedamus, quæ rem ipsam tangunt. Verba Imperatoris hæc sunt: *Si nihil de partibus lucri & damni nominatim convenierit, æquales scilicet partes & in lucro & in damno spectantur.* Quodsi hæc accipias, quasi jubeatur lucrum & damnum dividere per numerum sociorum, ut eadem sit uniuscujusque pars, v. gr. si tres fuerint socii & lucrum commune tria millia aureorum, singuli mille aureorum accipient, sive eandem pecunia vim contulerint, sive diversam; nemo non jura absurditatis incusabit, cum non modo nulla adsit ratio, cur socii omnes eandem partem accipient; sed rationi etiam repugnet, ut idem sit lucrum ejus, qui v. g. duo millia aureorum contulit, quam alterius, qui quatuor millia dedit. Agedum itaque videamus, quomodo verba Imperatoris cum ratione in concordiam revocemus. Si societatem quandam spe lucri ineundam decernunt nonnulli; quantitas pecunia ab uno socio conferenda determinatur. Quodsi jam contingat, ut unusidemque duas vel tres partes conferat; is personam duorum vel trium sociorum tueretur, nec pro uno amplius socio sed pro duobus vel tribus habetur; ideoque in Jure nostro (1) socius ex parte una velex duabus, vel ex tribus, vel etiam ex dimidia, decima, millesima parte dicitur. Ponamus enim conferri debere duodecim aureorum millia & portionem unius socii determinari bis mille aureorum. Evidens est sex requiri socios. Ponamus vero Sempronium conferre quatuor milia, Cajum sex millia & Grachum duo millia. Ecquis non perspicit Sempronium non unius socii nomine, sed nomine duorum duplum ejus conferre, quod ab uno socio exigitur. Similiterque Cajum trium sociorum nomine triplum ejus solvere, quod unus socius debet. Quemadmodum itaque duo socii duplam & tres triplam lucri partem acciperent; ita &

(1) l. 76. & 80, ff. pro socio.

Sempronius duplam, Caius vero triplam lucri partem accipi-
ant necesse est. Patet igitur si partes sociorum æquales esse de-
beant; lucrum collatis proportionaliter distribuendum esse.
Neque habet Grachus cur facta hac distributione conqueratur,
eui quippe perinde est; five unus Sempronius contulerit qua-
tuor millia aureorum & duplam hoc nomine lucri portionem
accipiat; five Sempronius tantummodo duo millia, & duo
millia Titius contulerit, atque singuli æqualem cum Gracho par-
tem accipient: ambo enim simul duplum auferunt ejus, quod
Gracho cedit. Non igitur conditio Grachi ex eo sit deterior,
quod Sempronius solus duplum lucri accipiat, quam si dimid-
ium Sempronius, dimidium vero Titius aufert. Eadem
enim est Grachi conditio, quocunque horum fiat. Nisi
itaque ob disparitatem operarum, quæ pecunia loco sunt, vel
alia quacunque de causa de lucro in partes inæquales distri-
buendo nominatim convenerit, socii quemadmodum æquale
lucrum sperant & damnum æquale metuunt, ita quoque
æquales partes conferre debent. Jus enim æqualis lucri &
damni fluit ex æqualitate collatorum. Quoniam igitur socii
singuli æquale jus habent; in eo fratribus assimilantur, quibus
æquale jus succedendi in bonis parentis competit. Unde
ULPIANUS (m): *Societas, inquit, jus quodammodo frater-*
nitatis in se continet. Aberrant igitur a vero qui ex Jure fra-
ternitatis inferunt, non obstante collatorum inæqualitate
partes lucri æquales sociis assignandas esse, quemadmodum
ita sentiunt WESENBECIUS (n) & HOPPERUS (o).
Quodsi enim hoc admittatur, qui minus contulit, jus po-
tius habet quam alter, qui plus contulit; consequenter jus
sociorum inæquale est, adeoque a Jure fraternitatis differt.
Hæc cum adeo evidenter sint, ut statim pateant, quamprimum

(m) I. 63. pr. ff. d. t. (n) in Paratid. I. XVII. T. II. n. 6. (o) ad §. 1. Inst.

mum mentis aciem in ideam societatis convertis, quis sibi
 persuaserit diversum ab hisce menti Imperatoris obversatum
 fuisse, ubi jura sociorum definitivit. Etenim ex natura socie-
 tatis fluit socios singulos, si cetera paria considerentur (id
 quod eo in casu obtinere debet, ubi nihil nominatim conve-
 nerit) æqualem pecunia quantitatem conferre debere. At-
 que hinc porrò consequitur, in eo quoque casu, ubi nihil de
 partibus lucri & damni convenerit, partes singulorum tam in
 lucro quam in damno æquales spectari debere. Unde evi-
 dens est, quemadmodum modo dixi, personam duorum,
 trium, quatuor sociorum tueri eum, qui duplum, triplum
 vel quadruplum ejus contulit, quod unus sociorum conferre
 tenetur. Ex verbis adeo Imperatoris rite intellectis sua sponte
 fluit, si jam non amplius per fictionem, quæ in jure nostro
 frequens est, unam personam tanquam plures considerare vel
 etiam subinde personam unam quasi in partes dividere velis,
 veluti cum unus confert partem unam cum dimidia, quæ ab
 uno socio exigitur; sed tot tantummodo socios agnoscas,
 quot sunt persona Physicæ, luerum & damnum distribuen-
 dum esse in ratione collatorum. Quodsi hactenus dicta non
 dum satis evidenter videantur, ecce tibi vel ipso sensu pal-
 pandam demonstrationem, re ipsa quidem non diversam ab
 anterioribus, alio tamen modo propositam. Nemo dubitat
 si partes a sociis singulis collatae fuerint æquales, æquales
 quoque singulorum lucri partes esse debere. Duo igitur lo-
 cii simul duplam simul accipiunt partem ejus quam accipit
 unus: tres accipiunt triplam, quatuor quadruplam & ita
 porro in infinitum. Si quereras ecquænam sit ratio cur duo
 socii duplam, tres simul triplam, quatuor quadruplam par-
 tem accipient, in promtu est responsio, quia duo simul du-
 plum conferunt, tres triplum, quatuor quadruplum ejus
 quod ab uno confertur. Jam si quis solus confert duplum,
 triplum vel quadruplum ejus quod ab uno conferendum, ratio-

••• 17 [••• p. 17 [p. 17] po-

ponitur eadem, quæ erat in casu priori partis duplæ, triplæ, quadruplæ lucri accipiendæ. Quamobrem cum eadem positâ ratione ponatur etiam id, quod per eandem determinatur; duplex quoque triplicem vel quadruplicem lucri partem accipere debet, qui solus duplex, triplicem, vel quadruplicem contulit. Ponamus jam Imperatorem tyronibus prima Juris Elementa tradentem in casu simplicissimo quo collata æqualia spectantur, acquiescere; ex hoc ipso non aliud inferri potest, quam quod lucrum atque damnum partibus collatis proportionaliter sit distribuendum. Quamobrem si in casu æqualium collatorum (quod nemo non concedet), ex mente Imperatoris partes lucri & damni æquales fieri debent, seu ut vulgo loquuntur JCti arithmeticæ æquales sint necesse est, nec Imperator sibi metipsi contrarius absque ulla urgente necessitate videri debet; in casu inæqualium collatorum partes lucri collatis proportionales, aut si cum JCtis loqui malueris geometrice æquales requiruntur. Atque sic existimo terminari posse controversiam Doctorum circa mentem Imperatoris in diversa abundantium, non minus rationis evidentia, quam ejusdem cum verbis Imperatoris concordia. Hactenus quoque dicta consentiunt cum decisionibus ULPIANI (p) & POMPONII (q) uterque enim rationem sufficientem partium lucri inæqualium ponit in inæqualitate collatorum, sive quis plus pecunia sive plus operarum contulerit. Hæc vero ratio, quemadmodum ex superioribus constat, fluit ex eo, quod in casu æqualitatis collatorum æquales quoque sint lucri partes. Quamobrem miror ἀβλεψίαν illorum, qui ex his verbis ULPIANI & POMPONII in casu inæqualitatis collatorum æqualitatem lucri & damni inferre solent, ubi peculiaris conventio de partibus inæqualibus abs fuerit. Ex eo autem quod partes lucri sint partibus collatorum proportionales, porro deducitur esse ut

(p) l. 29. ff. pro loco. (q) l. 6. ff. l. t.

summa collatorum ad collatum partiale socii unius, ita lucrum commune ad lucrum partiale ejusdem socii. Ponamus enim tres esse socios ex partibus quibuscunque five æqualibus, five inæqualibus, Titium, Mevium & Sempronium. Cum partes lucri sint partibus collatorum proportionales per hæc tenus demonstrata; erit ut collatum Titii ad collatum Mevii, ita lucrum Titii ad lucrum Mevii. Quamobrem componendo ut summa collatorum Titii & Mevii ad collatum alterutrius, ita quoque lucrum commune Titii & Mevii ad lucrum alterutrius (r); consequenter alternando summa collatorum est ad lucrum commune Titii atque Mevii, ut collatum Titii ad lucrum Titii vel collatum Mevii ad lucrum Mevii (s). Similiter ex mente legis, quam evici, est collatum Sempronii ad collatum Titii, ut lucrum Sempronii ad lucrum Titii; adeoque alternando ut collatum Titii ad lucrum Titii, ita collatum Sempronii ad lucrum Sempronii; consequenter ut summa collatorum Titii & Mevii ad lucrum ipsorum commune, ita collatum Sempronii ad lucrum ipsius. Quare cum sit alternando ut summa collatorum Titii & Mevii ad collatum Sempronii, ita lucrum commune Titii & Mevii ad lucrum Sempronii; erit quoque componendo & alternando: ut summa collatorum Titii, Mevii & Sempronii ad lucrum commune, ita collatum Sempronii ad lucrum ipsius; consequenter ita etiam collatum Titii ad lucrum ipsius, nec non collatum Mevii ad lucrum ipsius. Quoniam compositio rationum ita procedit in infinitum cum numero sociorum, patet in genere esse ut summa collatorum ad collatum partiale socii cujuscunque ita lucrum commune ad lucrum partiale socii cujuscunque. Atque ita ex principiis Juris de societate deduxi regulam Societatis, quam Arithmetici tradunt pro computando lucro vel danno, quod

B

uni-

(r) §. 190. Arithm. Lat. Wolf.

(s) §. 173, ibid.

unicuique sociorum debetur. Nuper (t) dedi regulam generalem computandi partes inæquales, in quibus instituti sunt plures heredes, & quartam Falcidiam: quam patet esse eandem cum regula societatis. Ratio identitatis hæc est, quod in utroque casu, scilicet & in casu dividenda hereditatis vel computanda Falcidiæ, & in casu lucri vel damni communis inter socios distribuendi, computus reducatur ad idem problema in numeris abstractis. In utroque nimurum casu numerus in ratione data dividi jubetur, hic quidem lucrum vel damnum in ratione collatorum, ibi hereditas in ratione partium, in quibus a testatore scripti sunt heredes. Quoniam ex iis, quæ ante fuisse demonstrata sunt, apparet divisionem lucri vel damni communis collatis proportionaliter fieri debere; nemo in dubium vocaverit in ista divisione observari proportionem geometricam. Est enim ea rationum similitudo, vi cuius antecedens unius rationis toties continet suum consequentem vel in eodem continetur, quoties antecedens rationis alterius suum continet consequentem vel in eodem continetur (u). Jam vero ubi lucrum vel damnum commune inter socios distribuitur, lucrum commune toties continet lucrum partiale socii cuiuscunque, quoties summa collatorum continet collatum partiale ejusdem socii. Ergo distributio damni vel lucri communis fit secundum proportionem geometricam. Quamobrem regula quoque societatis, quam huic divisioni inservire modo demonstravi, in iterata regulae Trium applicatione consistit, quam esse regulam proportionis geometricæ, hoc est, regulam ex datis tribus numeris quartum proportionalem inveniendi satis constat. Perplexum hoc reddit GROTIUM (vv), virum summum, ut ideo existimaverit ARISTOTELEM aliquid humani passum fuisse, dum affirmavit, in iustitia commutativa proportionem observari arithmeticam, non geometricam. Cum

(t) in spec. Nov. de Divis. Heredit. & comput. Ealcid. S. 20. (u) S. 149, & 151. Arith. Lat. Wolf. (vv) I. 3. de J. B. & P. C. I. S. 8d. n. 2. q. 1. q. 2.

Cum enim videret divisionem lueri & damni communis in contractu societatis, quem Justitia commutativa seu (quemadmodum ipse nuncupare maluit) expletix moderatur, in proportione geometrica fieri; vi hujus instantia intulit, quæ ARISTOTELES de proportione arithmeticâ docet, ex eorum esse genere, quæ sape locum habent non semper. Enimvero dubium hoc, quod tanto viro excidit, jam sustulit Magnus noster WOLFIUS (x). Confundit nimurum GROTHUS determinationem ejus, quod retribui debet, cum modo retribuendi. Justitia enim commutativa non præscribit modum determinandi id, quod cuique socio debetur; sed modum retribuendi id, quod unicuique debetur, ne quis justam conquerendi causam habeat Socius. Nimurum si quis socius partem lucri alteri debitam dare recusat, vel finita societate quod contulerat restituere renuit, tunc justitiae commutativæ locus est, atque in solutione partis lucri debitæ ac restitutione collati, si quid restituendum venit, arithmeticâ proportio observatur. Etenim ut haec observetur, plus habenti subtrahitur quod plus habet, detractumque additur alteri qui habet minus (y): contractus vero societatis expletur eodem pro rursus modo, cum hic quoque qui quæ alteri debentur, adeoque plus habet, ea alteri restituere tenetur, qui minus habet. Atque ita in hoc quoque contractu justitia commutativa munus suum adimpleret juxta proportionem arithmeticam, in qua addendo & subtrahendo perficiuntur omnia. Qui haec non satis intellexerunt, veluti BERNHARDUS SUTHOLD (z) & HENRICUS HAHNIUS (a), et si sententia ARISTOTELIS subscripterint, perperam inde intulerunt, distributionem lucri fieri in proportione arithmeticâ, non geometricâ, si concesserint eam fieri debere juxta quantitatem rei

col-

(x) in Hor. subsec. A. 1729. Trim. Vern. n. 2. §. II. p. 262. seqq. (y) Wolfius I. c. §. 10. p. 257. seqq. (z) Dissert. 15. ad Instit. §. 56. & 57. p. m. 415. (a) ad Welenb. tit. pro Socio n. VI.

collatae, quæ esse contradictoria tyronibus Matheos notum est, qui saltem terminos perceperem. Merito ridet HENRICUS de COCCEIUS (b) ignorantiam BACHOVII pro confirmandis sententia sua provocantis (c) ad pistorem, qui duos nummos solventi plus det eo, qui unum solvit non geometrica, sed arithmeticis proportione, cum ex terminis notum sit, si duos nummos solventi panis dupli ponderis datur, solventi autem unum panis simpli ponderis, panem hic dari in proportione geometrica, utpote nummis solutis proportionaliter determinata quantitate. Incidit autem in errorem pudendum JCtus, tum quod naturam proportionis geometrica & arithmeticæ non habuerit perspectam, tum quod non intellexerit, quomodo Justitia commutativa arithmeticam proportionem observet. Vides itaque qua discussione opus sit, ut mentem Imperatoris te penitus perspexisse convincaris, & quo acumine opus sit, ut certus sis te intelligere quid loquaris. Istiusmodi sane convictio, acumen istiusmodi requiritur in Doctore, ne auditoribus tradat, quæ a mente Legum abeunt. Quemadmodum itaque hac solertia Institutiones nuper explicavi, ut ubique intellectum Legum manifestum proderem, ac rationes genuinas inquirerem, ita in præsenti quoque curriculo eadem methodo in Institutionibus denuo explicandis utar. Prælectio-nes in easdem exordiar, h. VIII, matut, d. 16. Octob. 1732.

(b) in Dissert. de Proportion. c. 2. §. 2. (c) ad Treutler. Disp. XXVII. th. 8. Lit. D.



Marburg, Dr. SS., 1731-35

ULB Halle
005 359 929

3



Bibl. numerus 2. 2. 1

6

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

OH. ULRICI CRAMERI,
ET PHIL. D. AC IN ACADEMIA MARBURGENSI
PROF. JURIS EXTRAORDINARI^{II},
1732, 2.
*PROGRAMMA
ARTES ÆQUALES
IN LUCRO ET DAMNO
CIORUM SPECTANDAS,
EXPLICANS,
ET
REGULAM SOCIETATIS
ARITHMETICORUM
INDE DEMONSTRANS,
QUO
LECTIONES PRIVATAS
IN
INSTITUTIONES
INTIMAT.*

*MARBURGI CATTORUM,
PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.
MDCCXXXII.*

